

QK. 532, 58

B. m. II 646



*A. 6. 1.*

*11646*

*11646*

M. 532.

B. m. II, 646.

P O L L I O  
VIRGILII ECLOGA QVARTA

---

QVAM  
PATRIS INDVLGENTISSIONI  
ATQVE  
CARISSIMI  
CHRISTOPHORI GOTTLÖB  
A BVRGSDORFF  
ANNIVERSARIA NATALITIA  
PIE GRATVLATVRVS  
PRO VIRIBVS  
GERMANICE VERTIT, NOTIS ILLVSTRARE STVDVIT,  
SOCIISQVE DISPVVTATORIAE SOCIETATIS  
AD DISCEPTANDVM PROPOSVIT  
LUDOVICVS CHRISTOPHORVS  
a BVRGSDORFF.

---

DRESDAE, cIcI CCLXXXIX.

EX OFFICINA HARPETERIANA.



1010  
POLYGRAPHIA  
ALLEGORII LOGOGRAFICAE  
PARTRIS INDULCENTIASIMI  
CVRASIMI  
CHRISTOPHORI GOTTLIEB  
A BAROSSDORFI  
ANNIVERSARIA NATALITIA  
KIEV OBLAST VILNIUS  
PRO ALIBIA  
GEMINUS AVITUS MOTUS LIBERATIONIS STUDIAT  
SOCIOSAE DISPUTATORIAE SOCIETATIS  
AD DISPUTATIONEM TESTIGAT  
LUDOVICVS CHRISTOPHORVS  
A BAROSSDORFI

DRESDEN, 1712.

EX BIBLIOTECAE MARIAE THERESIAE.



PATER INDVLGENTISSIME

CARISSIME!

Magna TUA benevolentia et amor paternus inde a primis aetatis meae annis mihi declaratus fecit, ut audacter TIBI  
hodierno die, omnibus, qui TE norunt, caro et optato, commentatiunculam publici iuris factam traderem. Quo enim TIBI  
et omnem curam operamque in mentem atque in animum meum  
erudiendum collatam et exemplum imitatione dignum a TE mihi  
propositum, TUVUM denique praesidium gravissimum, quo so-  
ciatem nostram ornas, — quo, inquam, haec omnia meliori  
modo referre possem, quam si et TIBI fructus laborum Tvo-  
rum ostendam et aliis benevolum TUVUM erga me animum, hu-  
manitatem et benignitatem erga nos omnes patefaciam. Non  
igitur vanae gloriae aucupandae causa hanc commentationem IV.  
Eclogae Virgilianae iudicio tradidi publico, sed devictus amore  
erga patrem optimum et animo grato coactus.

A 2

Quid

Quid autem melius invenire potuerint, quam laudem aurei  
aevi, quo Te parentem nactus fruor. Sicuti enim Virgilius ex  
Marcello futuro novam progeniem novaque regna Saturnia vati-  
cinatur, ita, Deo O. M. confisus certo scio, Tecum felicitatem  
illam redire. Vt ille terram fertilissimam et omnia sua sponte  
praebentem describit, sic vsu edocto magnam exemplorum Tvo-  
rvm vbertatem laudare mihi licet. Accipias igitur quaeſo hunc  
meum laborem placido animo, et si minus eum probaveris, spe-  
ctes tamen voluntatem filii, qui patrem ex animo diligam et Deum  
pro patris vita et salute piis precibus adeam. Nihil autem prius  
et antiquius habebo, quam Tva exempla et praecepta sequi, vt  
et Tv ex institutione Tva largos fructus haurias et ego aliquan-  
do dignus evadam.

PARENTIS OPTIMI

Ludovicus Christophorus de Burgsdorff.

PROOE.

PROOEMIUM.

Sunt qui statuant, hoc carmen Virgilii vaticinationem de Iesu Christi natibus continere. v. c. Lactant. Inslit. et Constant. M. orat. ad sanctorum coetum. Nihil autem, inquit Heyne in prooemio ad hanc Eclogam,\* ista opinione esse potest levius, quamvis ea multis exornari possit, quae a viris doctis minus sunt animadverfa. Enimvero inter omnes populos, magna in primis aliqua calamitate oppressos, vaticinia circumferri solent, quae sive graviora minari sive laetiora polliceri solent, eaque, necessaria rerum vicissitudine, melioribus aliquando succedentibus temporibus, fere semper eventum habent. Nullo tamen tempore vaticiniorum insanius fuit studium, quam sub extrema reipublicae Romanae tempora et sub primis Imperatoribus; cum bellorum civilium calamitates terroresque hominum animos omnis generis portentorum et vaticiniorum ludibriis occoecassent. In primis autem Sibyllinorum oraculorum magna vulgo habebatur copia. cf. Octav. Sueton. 31.

Scriptus Poeta hoc carmen Coss. C. Asinio Pollione et Cn. Domitio Calvinio, a. V. C. 714. Eo anno, post summos, ne bellum civile inter Octavianum et M. Antonium, qui ex Asia cum copiis in Italiam traiecerat, recrudesceret, metus, Maeccenatis et Pollionis opera Brundusii pax composta fuit, cuius quasi pignus Octavia, Octaviani foror, Antonio in matrimonium tradita est. Erat ea, ex priore marito, Marcello, grava, id quod disertis verbis Dio memorat lib. XLVIII. c. 31. Cum ea pace ac matrimonio confirmata tandem publica tranquillitas videretur, satis commode Virgilius hunc tamquam fundum sui carminis facere potuit, ut ex eo tempore, rerum fortuna in melius mutata, auream aetatem esse reversuram diceret, eamque sententiam iis omnibus exornaret, quae a poetis de felicitate eius aetatis commemorari solent. —

A 3

POLLIO

\* ) cuius verba ipsissima fecuti sumus.



POLLIO ECLOGA IV.

EX RECENSIONE HEYNII.

M V I M I Q O S T

**S**icelides Musae, paullo maiora canamus;

Non omnis arbusta iuvant humilesque myricaem;

Si canimus silvas, siluae sint Consule dignae.

Vltima Cumaei venit iam carminis aetas:

5. Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.

Iam redit et Virgo: redeunt Saturnia regna:

Iam noua progenies coelo demittitur alto.

Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum

Definet ac toto surget gens aurea mundo,

10. Casta faue Lucina: tuus iam regnat Apollo.

Teque adeo decus hoc aevi, te Consule, inibit,

Pollio: et incipient magni procedere menses.

Te duce, si qua manent, sceleris vestigia nostri

Inrita perpetua soluent formidine terras.

15. Ille deum vitam accipiet, diuisque videbit

Permixtos heroas, et ipse videbitur illis,

Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.

At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu,

Errantis ederas passim cum baccare tellus

20. Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.

Ipsae lacte domum referent distenta capellae.

Vbera: nec magnos metuent arimenta leones,

Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.

Occidet et serpens, et fallax herba veneni

25. Occidet: Alysrium vulgo nascetur amomum.

At simul heroum laudes et facta parentis

Jam legere, et quae sit poteris cognoscere virtus;

Molli paullatim flauescet campus arista,

Incultisque rubens pendebit sentibus vua:

30. Et

30. Et durae quercus sudabunt rofcida mella.  
 Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,  
 Quae tentare Thetim ratibus, quae cingere muris  
 Oppida, quae iubeant telluri infindere fulcos.  
 Alter erit tum Tiphys, et altera quae vehat Argo
35. Delectos heroas: erunt etiam altera bella:  
 Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.  
 Hinc, vbi iam firmata virum te fecerit aetas,  
 Cedet et ipse mari vector; nec nautica pinus  
 Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
40. Non rastros patietur humus, non vinea falcem,  
 Robustus quoque iam tauris iuga soluet arator.  
 Nec varios disset mentiri lana colores.  
 Ipse sed in pratis aries iam suave rubenti  
 Murice, iam croceo mutabit vellera luto.
45. Sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos.  
 Talia saecla, suis dixerunt, currite, fusis  
 Concordes stabili fatorum numine Parcae.  
 Adgredere o magnos (aderit iam tempus) honores,  
 Cara deum suboles, magnum Iouis incrementum!
50. Adspice conuexo nutantem pondere mundum,  
 Terrasque, tractusque maris, coelumque profundum:  
 Adspice, venturo laetentur ut omnia saeclo,  
 O mihi tam longae maneat pars vltima vitae,  
 Spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta!
55. Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,  
 Nec Linus: huic mater quamuis atque huic pater adsit;  
 Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.  
 Pan etiam, Arcadia tecum si iudice certet,  
 Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.
60. Incipe, parue puer, risu cognoscere matrem:  
 Matri longa decem tulerunt fastidia menses.  
 Incipe, parue puer: cui non risere parentes,  
 Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.

VERSIO.



VER S I O.

**A**uf! Sicilische Musen! wir wollen erhabener singen. Es liebt nicht ieder Sträuche und niedere Tamarisken. Besingen wir Wälder, so müssen auch diese des Consuls würdig seyn. Schon nahet das letzte Jahrhundert des Cumaeischen Gedichts. Die lange Reihe verlosener Jahre beginnet von neuen. Die Jungfrau kehret zurück, Saturnus Reiche senken sich wieder hernieder. Ein neues Geschlecht senden die Götter von des Himmels Höhen herab. Sey du, keusche Lucina! dem neugebornen Knaben, mit dem das eiserne Zeitalter aufhören und das goldene sich auf der ganzen Welt verbreiten wird, günstig: jetzt herrscht dein Apollo. Noch unter dir, Consul Pollio! wird dieses Zeitalters Zierde entstehen und erhabene Monate beginnen ihren Lauf. Unter deiner Führung werden die noch etwan übrigengen Spuren unsrer Laster vertilgt und das Land von der immerwährenden Furcht erlöst werden. Er wird ein Leben der Götter erhalten, Helden mit Göttern vermischt erblicken, ihn wird man unter den Göttlichen sehn und er wird den friedlichen Erdkreis mit Vaters Tugend beherrschen. Dir aber, o Knabe! reichert ohne alle Bebauung Tellus Geschenke dann reichlich dar, hin und her geschlängeltes Epheu mit Baccar, und Colocasie mit lachenden Acanth durchwunden. Von selbst bringen die Ziegen ihre strotzenden Euter in ihre Behausung: es fürchten sich nicht für mächtigen Löwen die Heerden. Selbst beschenkt dich dann deine Wiege mit angenehmen Blumen. Es wird vergehen die Schlange, das betrügliche Gifft wird verwelken: Allenthalben wird Assyrisches Amom wachsen. Dann wirst du zugleich der Helden Lob und deiner Vorfahren Thaten lesen und Tapferkeit lernen können. Allmählich wird die weiche Aehre das Feld dann vergolden, in unbeschnittenen Dornen die röthliche Traube hangen und steinerne Eichen werden träufelnden Honig schwitzen. Freilich werden noch einige wenige Spuren des alten Frevels zurück bleiben, die uns zwingen das Meer mit Flößen zu besuchen, die Städte mit Mauern zu umzingeln und mit dem Pfluge den Boden zu verwunden. Es werden ein zweyter Typhis, eine andere Argo, die erlebene Helden fährt, entstehen, und

und zum zweytenmal wird der groſſe Achilles vor Troia geschickt werden. Aber wenn du des Mannes Iahre erreicht haſt, so wird von ſich ſelbst der Steiermann das Meer verlaſſen, keine ſchiffbare Fichte Waaren hin und her führen: iedes Land wird alles tragen, keinen Pflug mehr die Erde fühlen, noch der Wein das Meſſer. Der rüſtige Ackerer wird die Stiere vom Ioch löſen. Die Wolle wird ſich nicht in verschiedene Farben fälschlich kleiden. Der Stier wird vielmehr auf den Wiesen das Fell bald in prächtigen Purpur, bald in goldgelb verwandeln. Aus freyen Stücken wird Sandyx die weidenden Lämmer bekleiden. Lauft folche Zeiten! ſprachen die Schikſal bestimmenden Parzen zu ihren Faden. -- Beſteige denn nun (jetzt iſt es Zeit) der Götter werther Nachkomme, Iupiters Zögling! die hohe Ehrenbahne. Erblücke die unter der gewölbten Laſt zitternde Welt, den Erdboden, des Meeres Weite, den tiefen Himmel. Siehe, wie ſich alles des künftigen Jahrhunderts freut. O möcht ich doch dann den letzten Theil meines Lebens noch leben und Geiſt genug, deine Thaten zu beſingen, beſitzen! Mich würde Thraziens Orpheus nicht überwinden, noch Linus, wenn auch ienem die Mutter und diesem der Vater Beyſtand leifteten, dem Orpheus Calliopea, dem Linus der ſchöne Apollo. Selbſt Pan, wenn er mit mir wetteiferte und Arcadien das Urtheil ſpräche; ia! Pan follte von Arcadien für überwunden erklärt werden. Fange an, kleiner Knabe! am Lächeln deine Mutter zu erkennen: ſchon in den zehnten Monat trägt ſie dich mit groſſen Beschwerden. Fange also an, kleiner Knabe! wen bey ſeiner Geburt die Eltern nicht mit Lächeln empfangen, den würdigen die Götter weder ihres Tisches noch ihres Lagers.

## ANNOTATIONES.

v. i. *Sicelides Musae.* Virgilii musas more poetarum inuocat easque  
rogat, vt vires ipsi exhibeant et diuinum quaſi animum inspirent, quo ca-  
neret confule digna. *Sicelides* inuocat praefides praefertim bucolicorum et  
Theocriteorum, et cum Theocritus, quem Maro noster imitatus eſt, Syra-  
cusanus eſſet, facile intelligitur cauſa, ob quam iſtud carmen poeta ſic in-  
cepert. Praeterea in Sicilia vita paſtoritia maxime florebat et fedes patria-

B

que

que carminum bucolicorum a multis putatur. \*) (v. Héyne.) Quod e copia poetarum lyricorum Siculorum est conspicuum, \*\*) ubi ubi ubi ubi ubi ubi  
bu vv. 2. 3. pollicetur, inter pastoritiam illa etiam quaedam consule digna reperiri. *arbusta, myrtae, silvae*, pro carmine bucolico, ut in quo haec res describuntur.

v. 4. Postquam hucusque viuimus aetate ultima, ferrea, pessima, redibit nunc tempus illud antiquum, aevum aureum, a Sibylla Cumana nobis promissum. Historia Sybillarum tam variis fabulis obscurata est, ut nihil certi et veri in ea inuenire possis. Sed Cumanae Sylliae, Louis et Lamiae filiae, \*\*\* ) domicilium erat Cumae in urbe Maliae, vbi in antro habitabat, cf. Virgil. VI. 42.

Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum:

Quo lati ducunt aditus centum ostia centum:

Vnde ruunt totidem voces, responsa Sylliae. —

Praedita erat, sicut reliquae Sylliae, arte vaticinandi, hac tamen lege, ut, nisi diuino quodam furore inspirata, et correpta fuerit, vaticinari non posset. v. Virgil. VI. 48 sqq. Aeneid. et Ovid. Metam. XIV. 107. Vaticinia ipsa, ad modum carminum (vnde Carmen Cumaeum) composita palmarum foliis inscribere solebat. v. Virgil. Aen. VI. 74. III. 444. Vitam longaeuam diuturnamque egit, quod ex fabula Ouidiana appareat Met. XII. 130. sqq. Sibylla enim, cum Apollo diu quaedam petiisset, quae concedere ipsa non poterat, consentiebat tandem cum eo, hac quidem conditione, ut diutur-

\*) Sicilia celebrata est propter vitam rusticam et Arcadicam, quae ibi floruit, de qua re omnibus Idyllia Sicula testantur. Theocritus describit multis in locis integratatem vitae incolarum et natam inde felicitatem v. c. Idyll. VII, 135 sqq. VIII. 40 — 45. IX. 15 sqq. Et temporibus quidem recentioribus Sicilia, Romanorum provincia, fertilis et multis diuinitis locupletata laudatur. Hinc Lib. II, 17. v. 32 Odarr. Horat: *Siculae vaccae* et Lib. III. 1. v. 18 *Siculae dapes*.

\*\*) quorum praecipui sunt Theocritus, Bion, Moschus, Stesichorus, Daphnis.

\*\*\*) Sine dubio Sibylla Cumana et Erythraea una eademque est. Fabula de Apollinis in Cumanam amore de Erythraea etiam a Seruio narratur, qui addit, Apollinem a Sibylla petiisse, ut domicilium vetus, insulam Erythraeam relinququeret alioque in loco habitaret; quibus precibus cum puella annuisset, Cumae iuuisse.

nam ipsi daret vitam. Oblita autem annos semper iuueniles simul expetere, senectute confecta omnia perdidit et nihil retinuit nisi vocem: Hoc ipsa dicit l. c. v. 152. sqq.

— — nullique videnda,

Voce tamen nascor: vocem mihi fata relinquunt.

Virgilius eam saepius vocat Sacerdotem longaeuanum v. c. Aen. VI. 321.

v. 6. *Virgo*, Δίη, Hesiod. Egy. 256. *Iustitia*, l. l. 200. *Afræa* Hes. Gen. II. 414. Ouid. Met. I. 149. Louis et Themidis filia, homines aetate aurea inuisebat eosque iustitiam et pacem docebat. Cum autem genus humanum peiores vias ingredetur, Virgo terram reliquit et sedem inter stellas sibi elegit, vbi adhuc, nomine Virginis, in homines malos et improbos tristis despicit. *Saturnia regna*. Saturno Deo regnante, homines felicissimi et innocentes dicuntur, vnde poetae regnum eius comparabant cum aetate aurea regnumque mite *Saturnium* vocabant.

v. 7. *noua progenies*, nouus populus, qui alias mores, aliam viuendi rationem sequitur, qui tanta felicitate fruitur, ut diuinus et a coelo demissus videatur i. q. *gens aurea* v. 9. Hesiod. O. et D. 109. Χεῖστεον γένος μερόπων εὐδόκων.

v. 10. *Lucina*, cognomen Iunonis et Dianaæ, quatenus foeminas partu grauidas adiuuabant. *Apollo* frater Dianaæ, vnde hic *tuus*, tibi carus. Intelligit autem Virgilius h. l. Augustum, quem Romani huius Dei filium putabant. v. Sueton. Octav. c. 94. \*)

## B 2

v. 11.

\*) Augustum viuum quidem inter deos retulerunt eumque praesertim cum Ioue compararunt, potestatem eius saepenumero *fulmina* et arma, *arma Iouis* nominantes. v. c. Ouid. Trif. II. 179 sqq.

Parce precor: fulmenque tuum fera tela reconde.

Heu nimium misero cognita tela mihi!

Virg. Georg. IV. 560 sqq.

— — Caesar dum magnus ad altum

*Fulminat Euphraten bello.* — —


Ouid. Tr. I. El. I. 81.

Me quoque quae sensi fateor *Iouis* arma timere

Me reor *infesto*, cum *tonat igne* peti.

Gemma exstet quedam Augusṭea, in qua Augustus currat insidens et *fulmina* tenens a Victoria coronatur. Caesar a Livia, uxore, Octavia filia, eiusque filio

Marcello



v. 11. *Inibit*, incipiet, inchoabit, interpret. Seruio aliisue: ex Heynii,  
Viri Illustr. explicatione: eunt, procedunt menses, anni.

v. 12. *Magni menses*, non longi, diurni menses, sed praeclarissimi, illustres, insignes, memorabiles. Praesertim indicat poeta menses Iulium et Augustum, qui in Iulii Caesaris et Augusti honorem haec nomina acceperunt, antea Quinctilis et Sextilis nominati. v. Serv. ad h. l.

v. 15. 16. *vitam — illis*, tamquam Deus inter homines ingrediatur: admixtus erit diis et heroibus, e stirpe enim diuina est. (v. 10.)

v. 17. *Patriis virtutibus*, non solum patris virtutibus sed etiam maiorum. Gens enim Marcellina nota et celebrata erat. \*) *Pacatus orbis*, eine friedfertige Welt. *Orbis* vocabulo Romani copiam et ambitum prouinciarum suarum intelligebant. Corn. Nep. XXV, 20.

quum se vterque (Octavius et Antonius) principem non solum viris Romanae, sed *orbis terrarum* esse cuperet.

Tac. Germ. c. 2.

aduersus Oceanus raris ab *orbe nostro* nauibus aditur.

v. v. 18 — 20. Virgilius nihil nisi cibos infantibus aptos nominat. *nullo cultu* cfr. Ouid. Met. L 108. *sine semine* idem quod Ouidius pluribus eod. L. 101. describit:

Ipsa quoque immunis, rastroque intacta nec ullis  
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus.

*Baccar, Bacchar, bacharis, Βάκχας*, herba quaedam, cuius descriptionem Plinius H. N. XII. 12. XXI. 6. 19. nobis tradit; odore iucundissimo praedita erat. Solebant ea frontes cingere, vnde Virg. Buc. Ecl. VII. 27.

Aut

Marcello, quem in nostra Ecloga Virgilius vaticinatur, est circumdatus. Currum triumphantis duo Centauri ducunt. Plura de hac gemma vid. in Cuperi Apotheosi Homeri, vbi explicatio quaedam gemmae Augustae reperitur Amstellodami 1683.

\*) Marcellus est cognomen familie meritis splendidissimis praeditae Clandianae, cuius virtus in secundo bello Punico potissimum memoriae a scriptoribus est tradita. v. Horat. Od. I. 12. 46. Syracusani festos dies, nomine *Marcellea*, in honorem Marcelli, proprietoris cuiusdam, in Sicilia, celebrarunt eique statuam ex aere factam posuerunt. v. Cic. Ver. Act. II. c. 21.

*v. 21.* Aut si vltra placitum laudarit, baccare frontem  
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

*Calocasia.* Planta est palustris Aegyptiaca, latissimis foliis, caule spectabili, quo quidem non minus ac radicis bulbo vesci solent, fabas esu gratas pro fructu habet. Heyne. *Acanthus,* ἄκανθος, herba, quae folia habet multo quam luctucae latiora, longioraque, erucae modo diuisa.

*v. 21. Ipse* sponte sua, nullo ducente. Theocrit. Idyll. XI, 12. αὐτοὶ πρὸ οὐτόπατοι.

*v. 22. nec — leones.* Leones, lupi, in Italia frequentissimi, armentis maxime nocent, quare potissimum in Sicilia et Arcadia pastores eos odio persequeruntur, eorumque poetae bucolici persaepe mentionem faciunt v. c. Virg. Ecl. III. 80.

*v. 23. triste lupus stabulis.*  
Th. Id. VIII. 63. sq.

Φέδεν τῶν ἐγίφων, Φείδεν, λύκε, τῶν ταυτάδων μεν,  
Μηδ' αδίνει μ', ἔτι μικρὸς εὖν πολλαῖσιν ὄμαχος.  
eiusd. Id. XI. 24.

Φεύγεις δ', ὥσπερ δις πολιὸν λύκον αἴθρισσα.

*v. 24. fallax herba veneni*, graece pro herba fallens veneno. v. Ge. II. 152.  
— nec miseros fallunt aconita legentes.

*occidet pro herba moritur.* Heyne.

*v. 25. Affyrium — — amomum* v. Heyne ad h. l. et ad Ecl. III. 89.  
Vnguentum est deorum interdum et praecipue Veneris v. c. de Hymenaeo  
Ouid. Ep. 21. 166.

Spissaque de nitidis tergit amoma comis.

*v. 26. heroes* in familia Claudiana celebres. cf. v. 17.

*v. 27.* Ex quibus heroibus et factis parentis poteris veram virtutem cognoscere, quia illi maxima erant virtute commendabiles.

*v. 28. flauescet,* incipiet flavum fieri. cf. Ouid. Met. I. 110. canebat,  
mollis id quod tener, unde Lib. VII. 809.

— — nec teneras cursu laefisset aristas. opp. grauidis

— — ager grauidis canebat aristas.

*v. 30. durae — — mella,* wilder Honig. cf. Ouid. l. c. v. 112.  
flauaque de viridi stillabant ilice mella.

Egregia descriptio partis aetatis aureae: Terra tam fertilis est, ut quercus, quamvis sint durae, praebeant hominibus mella, et modo quidem facilissimo, sed abunt nempe, id quod Georg. I. 131. mellaque decussit foliis. Sic Ouid. L. III. Am. 8. 40. — et in queru mella reperta caua. Hes. O. et D. 233.

— — ἔρεσ; δέ δός

Αὐχη μὲν τε Φέρει Βαλάνες, μέσον δὲ μελίσσας.

Hor. Od. L. II. 19, 11, sq.

— — atque truncis

Lapsa cauis iterare mella,  
rosida que roris more per folia guttatum se colligunt.

v. 31. Remanebunt tamen tamdiu, quamdiu tibi ipsi nondum erit potestas orbem pacatum illum (v. 17.) regere, vestigia quedam aetatis ferreae vel ultimae, quae autem tu, vbi iam acceperis vires animumque viri (v. 37.) etiam extingues. *vestigia fraudis*, i. q. v. 13, *sceleris vestigia nostri*.

v. 32. *Thetis*, Nerei et Doridis filia, uxor Peleo a Ioue concessa, mater Achillis, maximi herois Graecorum tempore belli Troiani, *dea maris*. h. l. pro mari ipso; *ratis* eine Flösse, quod vehiculum marinum hominibus aureae et argenteae aetatis maxime erat notum atque omni adeo felicitatis, quae antecedit, descriptioni aptissimum. cf. Ouid. Met. L. I. 95.

— in liquidas pinus descenderat vndas.

eod. l. v. 133. sq. — — quaque diu steterat in montibus altis  
Fluctibus ignotis insultauere carinae.

v. 33. cf. Ovid. Met. L. I. 123. sq.  
Semina tum primum longis Cerealia fulcis  
Obruta sunt pressique iugo genuere iuenci.

v. 34. *Tiphys*; Phorbae et Hymanes filius; director nauis *Argonis*, qua Graeci in Colchidem, *Pellis aureae* rapiendae causa; vehebantur. Immitatus est h. l. Hesiod. O. et D. 161.

v. 38. Orta enim ars nauigandi est ex auditate hominum et cupiditate honoris.

v. 40. cf. Ouid. Met. L. I. 101.

v. 42. *dicit mentiri*, cum tinguitur: quod nunc non necesse erit, cum nativus lanae color modo purpureus, modo luteus, modo roseus futurus sit. Heyne.

v. 44. *murix*, Purpurschnecke, ex qua veteres purpuram efficiebant, quae autem non usque ad nostra tempora peruenit, cf. Guido Pancirollus de rebus deperditis.

v. 45. *Sandyx*, incertum est, quae sit herba, color enim non dictus est. Heyne putat, colorem esse, quo vellus ovillum splenderet. v. Plin. H. N. XXXV, 6.

v. 49. Adloquitur puerum. *Cara deūm soboles* — — *incrementum Iouis*, Ioue natus, progenies dei, ab eo educatus, institutus.

v. 55. Tam multa tamque praeclara erunt facta tua, vt, cum illa canam, omnibus sane poetis antecellam. *Linus* poeta vetus. *Pan* deus pastorum.

## EXCVRSVS I.

### DE INVOCATIONE DEORVM IN CARMINVM INITIIS.

**S**icuti gentiles semper, suscepturni quaedam, Deos de auxilio pie rogabant, ita etiam poetae Deos inuocabant eorumque subsidium initio carminum elaborandorum quaerebant. Putabant enim artem ποίησις diuinam, donatum, quod nullo alio nisi adiumento deorum adsequi possent. Quare etiam veteres venerabantur prope poetas<sup>\*)</sup> omnibusque laudibus cumulabant. v. c. Cic. Orat. pro Archia Poeta c. 8.: quare suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poetas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. Homerum, qui fere diuino quodam inflatu scripsisse videtur, usque ad sidera scriptores tollunt eumque *Deum* nominant, e. g.

Ἐι θεός ἐστιν Ὄμηρος, ἐν ἀθανάτοισι σεβέσθω

Ἐι δὲ αὐτὸν θεός ἐστιν, νομίζεσθω θεός εἶναι.

Columella non dubitat eum appellare parentem eloquentiae, *Deum Maeonium*, v. Cuperi Apoth. Hom. p. 11. \*\*\*) Virgilius, Horatius aliue maximo amore

\*) Praecipue eos, qui hymnos conscriperunt, tanto honore prosequebantur, ut eos diuinitus inspiratos dicerent. v. Spanhem. in prefat. ad Callimachum.

\*\*\*) Gemma quaedam adest, a Cupero illustrata, in qua Homerus vt Deus in sella sedens a Musis coronatur.

amore et fauore Augusti principis fruebantur. Cultum deorum et virtutis praecepta splendido πονήσεως inuoluero tradebant. Facta et laudes heroum carminibus narrabant. — Alia autem et grauis quidem causa, ob quam poetae auxilium a Diis petebant, erat, vt diuino quasi furore et impetu inspirarentur, ne quaedam incepta aut insana dicerent; quem ἐνθεσιασμὸν vocabant, ipsi vero poetæ ἐνθεσιασθαι dicebantur, de quo plurimis in locis poetæ loquuntur, v. c. Horat. Od. III. 25. 1. sq.

Quo me, Bacche! rapis tui

plenum! — — —

Cum tandem vehementer commoti essent illo diaino furore, ad silvas con fugiebant ibique circa riuum mite strepitantem et patulae recubantes sub tegmine fagi (Virg. Ecl. I. 1.) carmina conscribebant. Vnde Horatius l. c. v. 2. sq. ait:

— Quae nemora aut quos agor in specus

Velox mente noua — —

Musas de coelo ad se descendere putabant, v. Horat. Od. III. 4. 1.

Descende coelo, et dic age tibia

Regina longum Calliope melos,

Auditis? an me ludit amabilis

Infania? — —

Nostri poetæ et pictores ipsi fatentur, ἐνθεσιασμὸν illum non vanam opinionem esse, ipsos enim interdum furore diuino circumagi, quo autem qui careant, eos nihil boni et iucundi efficere posse. De qua re plura legas in Libro Sulzeri Cl. quem inscripsit: *Allgemeine Theorie der schönen Künste*, Leipzig 1778. sub voce *Begeisterung*. Aesthetici aeratis nostrae hanc consuetudinem poetarum ad regulas reduxerunt, ita vt quodque carmen epicum vel aliud genus πονήσεως ab inuocatione Dei incipiendum statuant, simulque argumentum indicent. Quae praecepta Virgilii L. I. Aeneidos est secutus. Homerus autem Musae inuocatione immisicit indicationem, aiens: (Lib. I. II.)

Μῆνην ἔειδε, Θεὰ, Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος

Ουλομένην — —

Sic

Sic Hesiodus O. et D.

*Μέσται Πιερίθεν, διοικήσι πλείσται*

*Δεῦτε δή, ἐνέπετε σφέτερον πατέρες ώμνεισται.*

Ouidius, Virgilium imitatus, Metamorphoses ita incipit:

In noua fert animus mutatas dicere formas

Corpora. Di coeptis — — —

Adspirate meis, primaque ab origine mundi

Ad mea perpetuum dēducite tempora carmen.

Multum temporis perderem, si vellem indicare omnia carmina, quae sic  
incipiunt. Ipse Klopstokii Cl. nostri *Messias* hoc modo initium capit.

## EXCVRSVS II.

### DE SICILIA ET INSVLIS BEATIS.

**I**nvoacat poeta, que iam supra ad v. 1. admonuimus, *SICELIDES MV-  
SAS* in hoc carmine praeferunt ex ea caufa, quia Sicilia sedes carminum  
eiusmodi generis erat et ibidem vita agrestis innocentiaque maxime flo-  
rent. Quare iam quaedam de hac felicitate et omnino de Insulis beatis vel  
diuitibus ad quas Sicilia attinebat, narrabimus.

Quamquam populi, qui maxima in obscuritate, errore et sine vlla co-  
gnitione veri Dei viuebant, nihil de vita vel felicissima vel calamitosa homi-  
num mortuorum ex libro sacro nostro scire poterant, tamen sibi praemia  
et poenas, quae vel pii vel impii post mortem essent accepturi, fingeabant.  
Cogitabant terras quasdam, in quibus Iupiter mortuos poneret, vbi Proser-  
pina et Pluto regnarent, vbi terribilis nox, calamitas et nihil nisi infelicitas,  
alias, vbi e contrario gaudium, innocentia, securitas, amor et amicitia  
essent; quarum regionum illam impiorum *Orcum*, hanc bonorum *Elysum*,  
*campos Elyseos*, *Insulas beatas* vel diuites nominabant, quarum situs ad  
Occidentem et Septentrionem erat, quia per mortem homo, vt in illis regio-  
nibus sol, occidit.

Semper autem eas in iis praeferunt regionibus, quas ignorabant, et  
vbi nihil nisi aquam magnumque Oceanum putabant, ponebant. Sic Ho-

C

merus

merus Siciliam Insulam esse beatam indicat, quoniam ignorabat omnes ter-  
ras, quae supra hanc insulam iacent; ibidem Vlysses in Haden descendit

*ἐνθα δε Κιμμερίων αὐδέων δῆμος τε πόλις τε*

Odyss. Lib. XI. v. 14.

Cum autem cognitio terrarum veterum amplificaretur, post Lusitaniam et Hispaniam Orcum sibi fingeant. v. *Herrmannus Handbuch der Mythologie aus Homer und Hesiod*. Berlin und Stettin 1787. quare Aelianus H. V. Lib. III. 18. et Diodor. Sicc. Bibl. Gr. V. 19. de magna insula post statuas Herculeas sita et omnibus copiis felicitatis affluente loquuntur. Cum autem eae regiones etiam notae essent, Hades ad ultimas insulas Oceani transferebatur, quod Hesiodus etiam fecit.

Quod ad insulas illas ipsas attinet, Homerus nullam accuratam descriptionem earum tradidit. Loquitur modo Lib. IX. Odyss. v. 105. sqq. de terra quadam Sicula Cyclopum amoenissima.

Virgilius autem describit Lib. VI. 638. sqq. Aeneid. campos illos excellētissimos. Pingit viuis quasi coloribus hic heroes ingenii summis praeditos: alibi iuvenes nudos certantes, coniuia laeta, Orpheum copiamque poetarum, qui quieti et albis vittis coronati ibi viuant: alibi tandem nemora prataque, in quibus equi liberi pascant. Simili modo ab Horatio Od. 16. Epod. Lib. insulas accepimus depictas. Adhortatur enim populum Romanum, ut pugnarum inter Antonium et Octavianum et rerum nouarum per-  
taesi, vrbe relicta, in insulas beatas proficiscantur.

Tibullus, qui nihil nisi lasciviam et libidines canit, amoris cupiditates, Venerem et Cupidinem in campos illos ponit, inquiens:

Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,

Ipsa Venus campos ducet in Elysios.

Hic choreae cantusque vigent — — —

Hic iuuenum series teneris immixta puellis

Ludit, et assidue praelia miscet amor.

Tib. Libr. I. Eleg. III. v. 59. sqq.

Fourmont et Banniers Franco Galli statuunt, omnem rem ex religione Ae-  
gyptiorum esse repetitam, quod autem nec refellere nec confirmare possi-  
mus.

EXCURSUS III.

## EXCVRSVS III.

COMPARATIO DESCRIPTIONVM AVREI AEVI  
EX HESIODO, OVIDIO ET VIRGILIO.

**P**raecipua quaedam sunt, quae quisque horum trium poetarum in descriptione aurei aei est secutus, quinquam suo quisque modo rem ornat, et nunc uberioris nunc pressius describit.

Antequam autem comparationem instituamus, loca scriptorum ipsa, Hesiodi et Ouidii laudemus. Hesiod. Ἔργα καὶ Ἡμέραι ex recensione b. Krebsii v. 108—126.

‘Ος ὁμόθεν γεγάσσοι θεοί Θυητοί τὸ ἀνθρώπων,  
Χρύσον μὲν πράτισα γένες μερόπων ἀνθρώπων  
Ἄθανατος ποιήσαν ἐλύμπια δόματα ἔχοντες,  
Οἱ μὲν ἐπὶ Κρόνες ἤσταν, ὅτ’ ἐρανῶ ἐμβασίλευεν.  
‘Ος τε θεοί δ’ ἔχων, ἀκηδέα Θυμὸν ἔχοντες,  
Νόσφιν ἄτερ τε πόνων καὶ οἰδύνοις ἐδὲ τι δειλὸν  
Τῆρες ἐπῆν αἰεὶ δὲ πόδας καὶ χεῖρας ἐμοῖσι  
Τέρποντ’ ἐν Θαλίστης κακὸν ἐπιτοίχειν ἀπάντων  
[Αφρινοὶ μῆλοισι, Φίλοι μανιάρεσσοι θεοῖσι] \*)  
Θυητοίν, δ’ αἱ ὑπνῷ δεδημηνοι ἐθλαὶ δὲ πάντα  
Τοῖσιν ἔννιν καρπὸν δ’ ἐφερε γειδωρος ἀργεῖα  
Αὐτομάτῃ, πολλὸν τε καὶ ἀφθονον· οἱ δὲ ἐθελημοί  
Ησυχοι ἔργα νέμονται σὺν ἐθλοῖσιν πολιέσσοιν.  
Αὐτὰρ ἐπέι καὶ τέτο γένος κατὰ γαῖας καλύψεν,  
Τοὶ μὲν δαίμονές ἔστι, Δίος μεγάλες διὰ βελᾶς,  
Εθλοὶ, ἐπιχθέντοι, Φύλακες Θυητῶν ἀνθρώπων.  
Οἱ δὲ φυλάσσεσσιν τε δίκας καὶ χέτλια ἔργα,  
Ηέραις ἐσσάμενοι, πάντῃ φοιτῶντες ἐπὶ αἴσιαν  
Πλευτοδόται καὶ τέτο γέρας βασιλίσσην ἔσχον.

C 2

Quam-

\*) Diodori Siculi, Robensonii, Graevii et Krebsii auctoritate ducti hunc versum textui inferendum censuimus.

Quamprimum sunt nati Dii et mortales homines, aureum primum genus diuersiloquentium hominum immortales coelestium domorum incollae fecerunt. Illi quidem sub Saturno erant, cum regnaret in coelo: et ut Dii viuebant, plane sine laboribus et curis, nec molesta senectus aderat; semper pedibus et manibus sibi similes delectabantur in conuiuis, ab omnibus liberi malis: (pomis abundantes, Diis cari beatiss) Moriebantur ceu somno deuicti: bona vero omnia erant iis; fructus ferebat campus fertilis sponte sua multos copiososque: ipsi autem res pro arbitrio suas curabant bonis cum multis. Verum postquam hoc genus terra abscondit, sunt facti daemones illi, magni Iouis consilio, boni, in terris versantes, tutores mortalium hominum: hi obseruabant iusta prauaque opera, aere inuoluti, passim oberrantes in terris, opum datores, et hoc praemium regium sunt fecuti.

Ouid. Met. I. 89 — 112. ex recensione Gierig.

*Aurea prima sata est aetas, quae, vindice nullo,  
Sponte suâ, sine lege, fidem rectiusque colebat.  
Poena metusque aberant, nec verba minacia fixo  
Aere legebantur: nec supplex turba timebant  
Iudicis ora sui: sed erant sine iudice tuti.  
Nondum caesa suis, peregrinum vt viseret orbem,  
Montibus, in liquidas pinus descenderat vndas:  
Nullaque mortales, praeter sua, litora norant.  
Nondum praecipites cingebant oppida fossae:  
Non tuba directi, non aeris cornua flexi,  
Non galeae, non ensis, erant. Sine militis vsu  
Mollia securae peragebant otia mentes.  
Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec ullis  
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus:  
Contentique cibis, nullo cogente, creatis,  
Arbuteos foetus, montanaque fraga legebant,  
Cornaque, et in duris haerentia mora rubetis;  
Et quae deciderant patula Iouis arbore glandes:  
Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris*

Mul.

Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.  
 Mox etiam fruges tellus inarata ferebat:  
 Nec renouatus ager grauidis canebat arisfis.  
 Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant:  
 Flauaque de viridi stillabant ilice mella.

In quibus descriptionibus, quae Hesiodo, Ouidio et Virgilio sint communia, facile intelligitur. Describunt autem i supponit virgilius binum

**I. Securitatem hominum illius aetatis.** Quod cogitatum quisque horum trium poetarum alio aliisque modo expreflit.

a) securi erant homines sine legibus, iudice et militibus. Bella non aderant. Ignorabant artem nauigandi.

b) sine bestiis herbisque, hominibus et armamentis periculosis. Aderant enim nec serpentes, leones et lupi, nec venenum, herba fallax.

Hesiodus, quamquam in ea etiam re fons omnium aliorum fuit, tamen vetustatis gratia non sublimi sed tenui dicendi genere depinxit; quare acceperunt recentiores, praescertim Ouidius modo ab eo quasi σκαργα-  
 φλαν, quam de suo quisque consilio elaborauit.

*Hesiod. v. 112. 13. ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες, Νέσφιν ἄτερ τε πόνων καὶ  
 ὅργων. Ήσυχοι ἐγγα τέμοντο* — —

*Ouid. v. 91.* Poena metusque aberant, nec verba minacia fixo aere legabantur — — *v. 93.* — sed erant sine Iudice tuti. *v. 98.* sqq. Non tuba directi, non aeris cornua flexi, Non galeae, non ensis erant. Sine militis ysu mollia securae peragebant otia mentes. *v. 94.* sqq. Nondum caesa suis, peregrinum ut viseret orbem, Montibus, in liquidas pinus descendebat vandas.

*Virgil. v. 17.* Pacatumque reget — — orbem. *v. 22.* — nec magnos metuunt armenta leones. *v. 24.* Occidet et serpens et fallax herba veneni. Occidet — — — *v. 38.* Cedet et ipse mari vector nec nautica piñus mutabit merces.

**II. Fertilitatem terrae.** Virgilius hanc partem felicitatis plurimis verbis elaboravit, qui cum infante loquebatur, cui nihil est iucundius cibo. Hesiodus et Ouidius paucis verbis eius faciunt mentionem,

Erant autem fructus praeципue et sponte sua crescentes: arbutei foetus, corna, mora, glandes, baccar, Acanthus, Amomum, colocasia, mella fera, quae e quercubus vel ilice sudabant, vinum, quod sponte sua crecebatur.

*Hesiod. v. 118. — — καρπὸν δ' ἐφέρε Ζείδωρος ἄργεα, Αυτομάτη πολλὸν τε καὶ ἀρθεον.*

*Ouid. 101.* Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec ullis faucia vomeribus, per se dabat omnia tellus. Contentique cibis nullo cogente, creatis, Arbuteos foetus, montanaque fraga legebant, cornaque, et in duris haerentia mora rubetis; et quae deciderant patula Iouis arbore glandes: *v. 108.* Mox etiam fruges tellus inarata ferebat: nec renouatus ager grauidis canebat aristis. *v. 112.* Flauaque de viridi stillabant ilice mella.

*Virg. v. 18. — — nullo munuscula cultu. Errantes éderas (passim cum baccare tellus, mixtaque ridenti colocasia fundet acantho. *v. 25.* Assyrum vulgo nascerut amomum. *v. 28.* Molli paullatim flauescet campus aristis, incultisque rubens pendebit sentibus tua: *v. 30.* Et durae quercus sudabunt roscida mella. *v. 39. — —* omnis feret omnia tellus. Non rastros patietur humus, non vinea falcem. Robustus quoque iam tauris iuga soluet arator.*

**III. Praesentiam deorum vel hominum mortuorum.** Cum enim putarent, ita lud genus humanum, *χρύσειν γένος*, de coelo esse demissum, illam (v. 7.) iis etiam opinio, deos vel homines bonos piosque mortuos ad terram descendere eiusque incolas inuisere. Praesertim dea Iustitiae, vel Astraea, vel κατ' ἔξοχην Virgo tempore illo adfuisse dicebatur.

*Hesiod. v. 121—126. Ouid. v. 149.* Viola iacet pietas et Virgo caede madentes, Ultima coelestum, terras Astraea reliquit. *Virg. v. 6.* Iamredit — Virgo.

Comparetur cum his excellentissimis auctoris Messiados fictione de vita paradisiaca, in qua omnes seculi aurei poetas longe post se reliquit.

B R E V I S H I S T O R I A  
SOCIETATIS DISPVATORIAE

Q V A M

EXPOVNNT EIVS SOCII

I N T E R P R E T E

IOANNE AVGVSTO FVRCHTEGOTT  
a GLOBIG.

---

SOCIETATIS DISPATATORIAE  
BREVES HISTORIÆ

GRAM

BIBLIONANT EIAS SOCI

INITIALIA

JOVANNI AGOSTO LAVAGNÉOTT  
a GOTHIC

### AD LECTOREM.

**M**iraberis fortasse, Lector Benebole, quid sit, quod praemissa commentatio non solum scripta et edita, sed etiam ita proposita et exhibita fuerit, ut de ea simul disputaretur. Sed nobis quidem, quod mirere, non videtur esse. Etenim factum hoc est, non levi et vana aliqua de causa, sed iis de rationibus, quae hac ipsa narratiuncula significatae, certo speramus, fore, ut a quolibet probentur atque laudentur. Itaque nec ineptum nec inutile videtur esse, paucissimis ostendere, quae sit societas nostrae disputationiae natura atque indoles.

Est autem societas nostra instituta nuper admodum, h. e. fere ante quatuor menses; quae originem debet auctori suo VIRO PERILLVSTRI et GENEROSISSIMO a BVRGSDORFF, Patri, qui de educatione et institutione filii optime meretur, et in hac cura nulli rei parcit nec quidquam intentatum relinquit. Socii, quibus ea composta constat, sunt hi: Iuvenis Generosissimus a BVRGSDORFF, qui et ipse dissertationem praemissam confecit; Iuvenes duo a GLOBIG, par fratrum, quorum maior natu Commentatione in Ovid. Trist. L. I. Eleg. V. scripta sed inedita VIRVM PERILLVSTREM et GENEROSISSIMVM a BVRGSDORFF, in cuius honorem haec tota solemnitas instituta est, et paucos alios Fautores iuventutis nostrae ad hanc disputationem audiendam invitavit; ego vero minor natu a societate haec mandata accepi, ut hanc rem enarrarem. In hane societatem receptus ante aliquot dies est Iuvenis Generosissimus a TEVBERN.

D


Quam

Quam iuuenum communitatem regunt et gubernant eorum praeceptores et moderatores hi: SCHVBERTVS, ISTRICHIUS, CLAVDIVS, KRETSCHMARVS, Artium liberalium Magistri; quorum primus instruit Iuuenem Generosissimum a BVRGSDORFF, secundus, Iuuenem Generosissimum a BRESLER, quem educandum recepit VIR PERILLVSTRIS a BVRGSDORFF, qui, quamvis tener aetate, tamen interest colloquiis nostris fisci societatis nostrae curator legitime constitutus; tertius, Iuuenem a BVRGSDORFF instruit Mathesi; quartus denique magister est fratrum a GLOBIG.

Haec tota societas conuenit die singulae hebdomadis ultima quavis, ut exercitationes disputandi instituantur. In congregando hanc legem tenet et feruat, vt locus conuentus in orbem, suam cuiusque vicem per omnes eat. Nimirum vnu iuuenum functus Respondentis, vt aiunt, munere, quod singula quaque hebdomade alternat, theses duas de rebus vel historicis, vel philologicis vel philosophicis proponit reliquis duobus, easque defendit a dubitationibus, quas hi illi obmovent et opponunt. Quae quidem colloquia latina ita variabuntur, vt singulis mensibus per ordinem a singulo feriendum aliquod exhibeat, quod materiam disputandi praebeat. Moderantur autem hanc disputationem iuuenum praeceptores sic, vt vnu actui disputationis praefit, qui Respondenti vel opem fert, vel materiam suggesterit, vel controversiam mouet et construit; alter disceptationem censeat, qui et de re proposita ipsa et sermonibus in vicem collatis, verbisque vltro citroque habitis iudicium fert, ostenditque quid vere falsoue dictum, quid emendandum vituperandum, quid sequendum et amplectendum fuerit, caeteri denique duo Opponentes ita adiuuent, vt eos vel haesitantes et ambigentes interpellent et interfumpant, vel errantes et dubios corrigant et confirmant. Leges quoque latae et sanctiae sunt, ad quarum normam et regulam ordo confortii sit dirigendus et seruandus, quae praeter alia etiam hoc suadent ut libri vari generis legendi causa comparati exhibantur. Neque minori et stimulo et ornamento nobis est grauissima praesentia VIRORVM PERILLVSTRIVM et GENEROSISSIMORVM et a BVRGSDORFF, Viri incomparabilis et singularis, qui vti de salute publica et priuata meritisstimus, ita et in omni litteraruin genere versatissimus omnium iudicio censendus

fendus est, et L. B. ab HOHENTHAL fratri meusque curator et tutor fidelissimus, laudibus nostris maior longeque superior, cuius innumera de nostra salute merita collaudare et concelebrare non satis possumus, exemplum singularis pietatis et integritatis, incredibilis diligentiae et industriae, doctrinae et fidei eximiae, praestantissimum, quod semper ante oculos imitandum ponemus. Hi duo VIRI PERILLVSTRES nos nostru[m]que sodalitum interdum, quantum per multitudinem et magnitudinem negotiorum fieri potuerit, adornare solent auctoritate praesenti, ut ipsi vel opponendo sermones nobiscum conferant, vel disertandi modum corrigant, errantes in rectam viam deducendo, omninoque meliora edocendo; quod fauoris documentum continuare velint et utilitatem maximam in nos redundare iubent, per hanc occasionem humanissime petimus.

Quem finem propositum sibi habeat hoc nostrum collegium; non difficile erit intellectu; sed quiuis vel sua sponte ex hac tenus dictis videre poterit. Quis enim nescit, lectione auctorum veterum latinorum sola, linguae ex vsu hominum remotae peritiam et notitiam perfectam et plenam, saltem virtutem flumenque orationis effici non posse, nisi viua vox et exercitatio latine dicendi ipsa accesserit, qua literarum amicus vsu quotidiano linguae latinae adsuetactus facultatem loquendi sibi propriam reddit et familiarem, acquiriturque sibi sensim facundiam necessariam, facilem et dulcem. Deinde quantam opportunitatem plura ediscendi ex tali instituto nos iuuenes nanciscamur, per se patet et ipsa rei natura loquitur. Videlicet enim modum, quo verum a falso distinguendum, illud demonstrandum hoc reprobandum; intelligimus, qua ratione, quidquid lectione, doctrina et meditatione assoluti fuerimus, id omne firmissimis argumentis defendendum sit ab aduersariorum difficultatibus eorumque vi et impetu; acuitur ingenium in rebus controversis dijudicandis et dirimendis; excolitur iudicandi facultas in obiectionibus statim et sine mora digerendis et dissoluendis. Nam non solum in ipsa altercatione iudicium de variis rebus latum tuendum est, sed etiam finita sermocinatione per sententiam a Censore latam dirigitur expeditur et absolvitur. Excitantur sic in animis iuuenum attentis ideae nouae varii generis, quae ad maiores in litterarum studiis progressus faciendo stimulare et instigare solent. Denique ut hoc attingam, mature adsuefius mori



mori disputandi academico, qui, si quando ad Academiam accesserimus, nobis non ignotus erit, huius rei sensu iam nunc imbutis et notitia praemunitis.

Haec commoda et multa huius generis alia, bene videns, VIR PERILLVSTRIS a BVRGSDORFF nihil salubrius nihil aptius iubere et praecepere potuit, quam hanc nostrae societatis institutionem. Quantum igitur Tanto Viro pro his eius in nos benevolentiae documentis debeamus, etiam si animo grato et pia mente quotidie voluamus studeamusque eius confilio quamvis non omnino satisfacere, saltem aliqua ex parte respondere; tamen, cum nostrum putaremus, hos sensus publice declarandos esse; id non melius fieri posse, existimauimus, quam si societas tota particeps fiat laetitiae, quam Filio parit dies Patris natalitius, huncque diem sacrum et solemnem ita celebret, ut quae dissertatio Patri a Filio exhibita fuerit, de ea paucula verba more recepto faciat, atque sic ipse eius auctor praeiens videat, quem fructum socii ceperint ex tali instituto utilissimo.

His cognitis et perlectis ncminem puto esse, quem haec nostra dispositio peculiaris offendat. De reliquo, cum in tota rerum natura res fere omnis a parvis initii parua quidem capiat incrementa, sed ad augmenta altiora adspiret progrediaturque ad ornamenta ampliora, ita et haec nostra societas omni opera elaborabit, ut ad maiorem perfectionis gradum ascendat, VIRORVM GRAVISSIMORVM consiliis et optatis magis magisque respondeat salutique et litteris iuuenum, quam maxime prospiciatur atque consulatur.



VD 18

W

AK Thc 1064



B. m. II, 646.

OLLIO  
ECLOGA QVARTA

---

QVAM  
DVLGENTISSIMI  
ATQVE  
RISSIMI  
HORI GOTTLLOB  
RGSDORFF  
ARIA NATALITIA

GRATVLA TURVS  
PRO VIRIBVS  
T, NOTIS ILLVSTRARE STVDVIT,  
VTATORIAE SOCIETATIS  
EPTANDVM PROPOSIT  
S CHRISTOPHORVS  
VRGSDORFF.

DAE, c. 10 CCLXXXIX.

INA HARPETERIANA.

